

frequenter in memoriam revocare. Atque ad id significandum, consulto arbitror Christum Dominum vocasse tunc matrem suam, mulierem: *Mulier, ecce filius tuus*, quia, ut adnotant periti linguae hebraicae cum Pagnino in suo thesauro linguae sanctae dicitio hebraea *Isach*, quae significat, mulierem, etiam interpretatur, *uxor*. Unde et apud Hispanos, communi idiomate nomine mulieris nominant viri uxores suas. Ut ergo hunc novum dolorem experiret Virgo, filius sibi relinquitur orphanus absque patre, cum Dominus tamquam sponsus ei alloquens, dixit (*Ioan. 19*): *Mulier, ecce filius tuus*. Unde etiam *Isaias (c. 47)* tanquam viduam absque sponso, et matrem sine filio futuram Virginem vaticinans in illa verba prorupit (*Isai. 47*): *Venient tibi subito duo haec in die una, sterilitas, et viduitas: sterilitas, quia sine filio naturali; viduitas, quia sine legitimo sponso eris. Facta est quasi vidua domine gentium, idest, Maria, quae lingua Syriaca, domina, interpretatur. Ad haec opinor Christum Dominum consulto iuxta crucem notuisse matrem propriam nomine Mariae compellere, quia cum vellet ad uberius illius meritum omni solatio illam destitui, Mariae nomen retulit, cuius eam mirabilem virtutem non ignorabat, ut eius vox audita animum oppressum mirifice recrearet, ut beata Birgitta revelatum fuit, et tradit his verbis *Idiola* nomine re doctissimus (*lib. contempl. de B. Virg. tom. 3. biblioth.*): *Tantae virtutis, et excellentiae est nomen tuum, ut ad eius invocationem coelum rideat, terra laetetur, angelique congaudeant.**

Ceterum cum b. Virgo, nec ab amicis, immo nec a charissimo filio suo solatium aliquid mororem eius leniens accipiat, videamus quae, an Pater aeternus eam consoletur, qui *Pater est misericordiarum, et Deus totius consolationis*. Arbitror sane aeternum Patrem ita matrem, sicut et filium dereliquisse, ipso dicente: *Ut quid dereliquisti me?* Sed et puto etiam aeterni Patris cor tunc dolore confici persimili illi, cuius meminit Moyses, qui de Deo loquens ait (*Gen. 6*): *Tactus dolore cordis intrinsecus*, seu ut originale hebraeum habet: *Contristavit se Deus, est angustia affectus est ad cor suum. Delebo, inquit, hominem, quem feci a facie terrae*. Licet enim in Deo nulla tristitia cadere possit, loquitur tamen Scriptura sancta more humano, ut significet adeo enormia fuisse tunc hominum peccata, ut si fieri posset, divinum cor contristarent, de factoque ad indignationem, et supplicium adeo illum provocarent, ut universum orbem diluvii aquae inundaret. Si ergo Deus videns abominanda illius temporis peccata, *tactus est dolore cordis intrinsecus*: et ut sacer Textus dixit, *poenitent me fecisse eos*; sane intuens enormissima illa scelera, quae in acerba morte filii sui fuerunt patrata, nullo magis credendus est, dolore tactus intrinsecus poenituisse, quod immaniter adeo tractari permisisset dilectum filium suum, non quidem quod in Deo poenitentiam fuisse credamus; sed eo pervenisse e-normalitate peccati auctorem vitae, ac Deum ipsum interfecissent, ut si possibile fuisset,

ipsa etiam aeterni Patris viscera ad dolorem, et poenitentiam commoverentur. Unde sicut olim consuevit principibus, agnita morte filiorum, propria vestimenta dirumpere, et a lila interni doloris externa indicia praebere; ita similiter, cum aliquoq aeternus Pater amictus lumine sit sicut vestimento, voluit tamen tempore mortis filii sui universam eius domum, hoc est, tolam mundi fabricam, obscuris tenebrarum vestimentis indui (*Matth. 27*): *Tenebrae factae sunt super universam terram*; et ad maiora moeroris argumenta exhibenda scindi iussit per medium templi velum, ut ait Evangelista (*ibid.*): *Velum templi scissum est*; et collidentes inter sese petrae, fragore suo tristites eiulatus emiserunt. Cum ergo neque Creator ipse, neque creaturae universae, praestantior doloris oppressae, quidpiam solati Virgini praesent, merito id praevidens Hieremias ait (*Ther. 1*): *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius*.

Porro illa sola cogitatio Marianam dolorem lenire potuisset, vel quod sanguis, quem Christus in passione effundebat, humani generis redemptionis pretium erat, ut Ambrosius, et Augustinus cecinerunt: *Tuis ergo fanulis subveni, quos pretioso tuo sanguine redemisti*. Vel quod sacro illo cruore, velut lavaero, abluenda erant pene infinitae peccatorum sordes: *Lavit nos in sanguine Agni*. Vel quod per crucem, et mortem summam gloriam et honorem adepturus erat (*ad Hebr. 2*): *Vidimus Iesum propter passionem mortis, gloria, et honore coronatum*. Vel quod diem illum mortis in ligno crucis, prius vocasset sponsa diem voluplatis, et alacritatis Christi (*Cant. 3*): *Egre dimini, et videte filiae Sion Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis sui*. Ac tandem illud Virgini maximum solatium afferre potuisset, Ecclesiam in pene infinitis membris suis mortuam per mortem Christi, vivificandam, et suscitandam, ut clare indicant verba eiusdem (*Cantic. 8*): *Sub arbore malo suscitavi te, tibi corrupta est mater tua, tibi violata est genitrix tua*. Quae verba licet quidam haeretici cum Mercero, immo, et nonnulli eruditii catholici, ut Agathias, Nannius, Genebrardus, Lysius, Osorius iunior, et alii putaverint esse sponsae; Patres tamen partim Graeci, ut Theodoretus, et Phyllo, Latini vero permulti, Cassiodorus, Gregorius, Apollonius, Angelonius, Alcuinus, Beda, Anselmus, Aymon, Honorius, Rupertus, et divus Thomas expresse docent, verba illa esse sponsae ad sponsum, qui crucem consulto vocavit arborem mali, quia sponsa fructui huius arboris illum antea comparaverat: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Sub hac ergo crucis arbore ait se suscitasse sponsam peccatis mortuam, et errorum tenebris sepultam. Quod autem verba illa geminat, quae idem prorsus significare videntur: *Ibi corrupta est mater tua, tibi violata est genitrix tua*; illud arcanum continet, quod sub arbore non una, sed duplex mater corrupta fuerit a moechi caecodaeomone. Prior generis humani naturalis mater Eva, et

posterior Synagoga mater Ecclesiae spiritualis: illa corrupta fuit, dum pomo vetulo vescitur:

Quando pomi noxialis  
Morsu in mortem corruit;

haec vero violata fuit, quando auctorem vitae in crucem egit. Sub eadem autem crucis arbore diversam Hebraei sortem subiere: nam maior illa pars, pontifices, sacerdotes, scribae, pharisaei, et saducei, qui plebem instar matris, doctrinae lacte nutrire debebant, mortis aeternae damnationi fuit addicta; filia vero illius, scilicet, plebecula, mulierculae, piscatores, et ignobiles alii, a Christo regenerati fuerunt, dum sicut ex Adami costa, sic ex Christi latere, Ecclesia prodiiit christiana. Unde sicut communis hostis in ligno vicit, ita quoque in ligno vincitur, victus fuit iuxta illud:

Et medellam ferret inde  
Hostis unde laeserat.

Nec desunt qui pie interpretantes praedicta verba: *Sub arbore malo suscitavi te*, tunc ad litteram autument verificata, cum Christus Dominus sub crucis arbore extitit. Tunc autem proprie sub illa extitisse perhibetur, quando postquam carnicifex eum cruci affixerant, corpus eius sic affixum versus terram convertentur, ut clavorum cuspides melius intorqueant. Tunc ergo, inquam, sic conversus Dominus sub cruce existens, suscitavit emortuam sponsam suam, iuxta illud (*Psal. 84*): *Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua laetabitur in te, et illud (Psal. 70)*: *Conversus vivificasti me, et de abyssis terrarum iterum reduxisti me*. Pia sane allusio, nolo inficari illam: sed nec diffidere possum, quin si fructus passionis Christi, et immortalitatis gloriae, ac celeris triumphantis eius resurrectionis cogitationes in mentem Virginitis tunc incidissent, mirum in modum illum consolarentur; at dum Hieremias vocat illam (*Thren. 1*): *Desolatam, et tota die moerore confectam*, opinor in corde Mariae, Deo sic disponente, ut omni solatio, etiam interno destitueretur, vel huiuscemodi cogitationum genus aditum non invenisset; vel certe si occurrerent, prae magnitudine acerbi doloris, omnes penitus suppressas fuisse, ac solum cogitationem acerbi doloris, quem Christus sustinebat, et iacturae tanti boni, quam ipsa patiebatur, virgineum eius cor occupasse, et viscera illius acriter transverberasse; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VI.

*Beatissimam Virginem adeo doluisse de morte dilectissimi filii sui, ut vere martyr, et plusquam martyr fuerit, tam sanctorum Patrum testimoniis, quam varis animi conceptionibus palam facimus.*

Consuere sacra eloquia, ac sancti Patres ea, quae propter nimiam illorum magnitudinem, quando immensitate, et quasi infinitate redolent, variis titulis, ac nominibus exornare, ut si unum non possit, saltem omnia simul illam aliqua ex parte exprimerent. Hinc ad declarandum peccati gravitatem, nunc tenebras, nunc mentis caliginem, nunc caecitatem, nunc ruinas, et naufragium, nunc mortem, nunc inimicitiam cum Deo illud vocitant. Ad ostendendum similiter eximiam sollicitudinem, et curam, quam Christus Dominus exhibuit in reparatione generis humani, nunc illum pastorem, nunc ducem, nunc patremfamilias, nunc pastorem animarum, nunc pontificem, nunc regem, nunc solem iustitiae, nunc fideiorem, nunc amicum, et fratrem, nunc agricolam, nunc mercatorem appellat, et alia similia nomina, quae sedulam eius diligentiam in reparando genere humano luculenter demonstrant, et tribunt. Non dissimiliter divini verbi praecones tam velutuos, quam novos facilitate video, qui acerbitate doloris, quem beata Virgo in passione, et morte filii sui peritulum contemplantis, variis epithetis, et nominibus, lugubre hoc mysterium Marianae tristitiae, et desolationis hinc ostendunt, ut illam, quoad fieri possit, explicare valeant.

Quidam illud vocant solitudinem beatae Virginitis, alii angustias Dominae nostrae, alii planctum Mariae, alii lamentationem Virginitis, alii compassionem Deiparae, alii transfixionem; ego autem sanctorum Patrum vestigiis insistens, andeo illud appellare martyrium Genitricis Dei: Maria enim in passione Christi simul virgo, et mater extitit; non quia ferro gladii interierit, sed quia acerbissimis doloribus hoc interitum filii sui oppressa fuerit. Testantur Marianam veram martyrem fuisse gravissimi Ecclesiae Patres, quibus refragari summa temeritas esset. In primis d. Bernardus (*ser. qui incip. sig. mag.*) in hunc modum loquitur: *Tere tuam, o beata Mater, animam gladius pertransiit, quando crudelis lancea filio iam mortuo latus aperuit. Ipsi nimirum anima iam ibi non erat, sed tua plane ovelli nequibat, ut plusquam martyrem te non immerito praedicemus, in qua sensum corporae passionis excessit affectus compassionis: et divus Hieronymus, vel Sophronius, ut alii dicunt (*ser. de Assum.*) inquit: *Quia spiritualiter, et caro eius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit*. Divus Hidelphonsus similiter profert (*serm. 2. de Assump.*): *At enim Simeon, vel Dominus ad eam: Et tuam ipsius animam pertransiit gladius. Quod si gladius usque ad animam perve-**

nil, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis, cum videret Dominum pendentem, etiam plusquam martyr fuit; quia in animo non minus amoris, quam moeroris est intus gladio vulnerata. Parata enim stetit, si non desset manus percussoris. Acredit insigne testimonium Gualielmi (sup. cap. 3. *Cantic.*), ubi explicans verba illa: *Ascensus purpureus, ad martyrium b. Virginis illa refert, dicens: Cum pia mater se martyrem profletur, et sibi mori lucrum, ascensum suum esse purpureum. Illustrat eius martyrium a propheta Simeone eidenter insinuatum fuit, cum loquens de filio diceret: tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. Plano gladius acutissimus dolor Dominicae passionis animam pie matris penetrans, atque transverberans cum spiritualiter commori filio fecit. Martyres alii fuere moriendo pro Christo, haec commoriendo Christo martyr fuit, et commartyr Christi: illorum corporale, matris spirituale, et proinde praestantius martyrium fuit. Plus est esse commartyrem Christi, quam martyrem Christi: martyres, hoc hoc est hominum sanguine, sed Maria filii, hoc est Dei sanguine intus rubebat. Sancta etiam Birgitta (lib. 1. *revel. cap. 57*) testatur Christum ad matrem suam loquentem dixisse: *Testimonium perhibeo tibi, quia in passione mea fuisi plusquam martyr. Eidem tandem sententiae consentiunt divus Anselmus (de excell. Virg.), et multi theologi cum Richardo de Mediavilla (in 3. *sentent. distinct. 33. artic. 4*), Gansius (lib. 4. de *Deip. cap. 28*), Bastensis in Mariali (part. 10. *serm. 1. de campas*), Auditor Pomerii (lib. 3. *artic. 3*), d. Thomas (in 4. *sentent. quaest. 5. artic. 5*), et alii, quos longum esset recensere. Ratio etiam eidem sententiae non parum optulatur. Prima: nam ad martyrium non requiritur actualis mors, sed vel vulnera lethalia, vel quod quis sustineat sufficientem mortis causam sibi applicari in defensione fidei catholicae, vel aliquid, ut manifeste constat in divo Ioanne evangelista, qui tamquam verum Christi martyrem sancta veneratur Ecclesia, et tamen in olei ferventis dolio, in quod missus fuit, non solum mortem non sustinuit, sed, ut refert ex Tertulliano divus Hieronymus (lib. de *praeser. Haeretic. ad. Iovin.*), purior et vegetior ex eo exivit, quam intravit. Ad beata Virgo iuxta crucem confidens se esse matrem Iesu crucifixi, exposuit se ad hoc, ut qui filium tanto odio prosequerentur, in illam irruerent. Deinde in conspectu suo eius filium crucifixum, irriserunt, et blasphemaverunt; ex quo non solum in anima, sed et in corpore lethales dolores sustinuit, ut tradit divus Augustinus (de *lament. Virg.*), et ratio ipsa convincit, quia ex tristitia animi redundat dolor in corpus, Aristotele dicente: *Operationes animi corpori communicantur. Secunda ratio sit: quia, ut docet divus Thomas (in 4. *sentent.*), Christus Dominus vere, et proprie fuit martyr, immo et martyrum princeps: nam propter catholicam veritatem, dum docebat se filium Dei esse, occisus est; beata autem Virgo, tum propter summam cum Christo coniunctionem, tum quia simul cum illo constanter perseverabat in suae fidei, et amoris reddendo testimonio, simul cum ipso patiebatur, et***

consequenter simul cum Christo martyr effecta est: licet enim filii interfectores directe non intenderent matrem propter Christum adligere; tamen re ipsa persequendo Christum ipsam persequerantur, et occidendo Christum, quantum in ipsis erat, eam interficiebant: qui modus passionis, et persecutionis sufficiens est ad martyrium, ut in Innocentius constat, qui vere fuerunt martyres, quamvis persecutores non intenderent occidere eos propter Christum, sed solum interficere Christum. Ergo ex hac parte sufficienter beata Virgo passa est propter fidem, et propter Christum. Aliunde vero sustinuit dolorem sufficientem ad inferendam mortem corporis, nisi peculiari Dei auxilio fuisset suffulsa, ut his verbis expressit tradit divus Anselmus (lib. de *exc. beat. Virg. cap. 5*): *Non crederem te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi spiritus dulcissimi filii tui te intus deceret, non esse mortem cum absumentes, sed magis triumphum omnia ei subiecerunt. Fuit igitur beata Virgo vere, et proprie martyr, immo et plusquam martyr, quia ut (ibid.) ait divus Anselmus: *Quidquid crudelitatis inflicturn est corporibus martyrum, leve fuit, ad potius nihil comparatione suae passionis. Nec mirandum, quod beata Virgo hoc novum martyrii genus sola subierit, quia sicut Virgo virginum permansit, novo, et inaudito modo concipiens, iuxta illud (Hierem. cap. 31): *Novum fecit Dominus super terram: mulier circumdabit virum, iuxta facta est martyr martyrum, novo, inaudito, et eminentiori genere martyrii omnes illos superans. Hunc autem excessum ex multiplice capite deprehendens: primo quia tanto gravius passa est prae aliis martyribus, quanto martyrium eius fuit praecipue in anima, et spiritu; illorum vero principalis fuit in corpore, gladius enim materialis transiit eorum corpora; spiritualis vero gladius doloris pertransiit Virginis animam, ut praedixerat Simeon (Luc. 2): *Tuam ipsius animam pertransibit gladius; unde divus Bernardus (serm. 4. in Coena Dom.)*, loquens de dolore, quem perlitit beata Virgo, audiens verba illa: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* dixit: *In isto modico Domina mea, mater tua, Virgo incorrupta, Virgo intemerata, Virgo ante partum, Virgo post partum, mater tua, immo martyr tua, martyr non ferro carnis, sed acerbo dolore cordis, quam anare flebat, quam amare dolebat?* Acerbissimae deinde fuisse Virginis martyrium, ratio illa philosophica perspicue probat, quod dolor passionis oritur a laesione carnis cum perceptione sensus, et redundat in animam; dolor vero compassionis oritur, et incipit in anima, et redundat in sensum, et carnem. Quanto igitur anima est potentior, et magis dominans super carnem, et caro delicatior, et magis subiecta animae, tanto fil maior redundantia; et maior dolor est, qui incipit ab anima, quam ille, qui incipit a carne. Quia igitur illa contigit in gloriosa Virgine, maior dolor fuit compassionis in ipsa, quam dolor passionis, qui est ex parte naturae corruptibilis. Unde Alexander de Aleis (super *Psal. 88*) eandem veritatem confirmat, verba divi Hieronymi, vel Sophronii (ser-***

de *Assumpt.*) referens: *Alii sancti passi sunt pro Christo in carne, sed beata Virgo in ea parte sui passa est, quae immortalis habetur; et ideo ut verum fatear, quia spiritualiter, et atrocius passa est gladio passionis, plusquam martyr fuit. Secundo quia martyres cum cruciabantur, dolorem sustinebant in carne, quam odio habebant, eo quod peccatorum scaturigo sibi erat; at b. Virgo patiebatur in carne Virginea Christi, nulli unquam peccato obnoxia, et quam ardentissimo diligebat amore. Tertio excessit eius martyrium ratione continuationis: aliorum enim martyrum dolores brevi temporis spatio absoluebantur, Deiparae autem Mariae martyrium non solum duravit toto tempore passionis Christi, sed post ascensum illius ad dexteram Patris: nam, ut tradit noster s. Bernardus, per omnes dies lugubri recordatione mysteria passionis Christi Domini moestissima lamentatione, memoria refricabat, dicens illud (Cantic. 1): *Fasciculus myrrhae, dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur. Fasciculum myrrhae, quae amarissima est, vocat collectionem amaritudinum, et dolorum Christi, quos ipsa inter ubera animae, hoc est, intellectum, et voluntatem diuturna meditatione, et assidua compassione deferebat. Ut autem sponsa redderet rationem, quare cum Christus Dominus aliquo dulcissimus, et omni suavitate plenus (Cant. 4), *Mel, et lac sub lingua tua, affirmit nihilominus sibi instar myrrhae amarissimum esse, ideo continuo subiunxit, *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi: Engaddi enim significat fontem tentationis: unde quia beata Virgo Christum Dominum praecognoscebat multis tentationibus, aerumnis, ac persecutionibus opprimendum fore, ideo instar myrrhae amarissimum illum vocat. Quarto excessit acerbitas martyrii illius, quia quanto instrumentum mortis horribilius est, tanto mors terribilior redditur; unde qui in igne cremantur, magis patiuntur quam qui aqua suffocantur; et qui variis sagittis confoditur, acerbiorum sustinet mortem, quam qui solo laqueo suspenditur. Accedunt ergo omnia instrumenta, quibus martyres interierunt: revocata in memoriam lapides Stephani, ense iugulante Paulum, gladium excoriantem Bartholomaeum, ardentem craticulam assentem, et torquentem Laurentium, leones trucidantes Ignatium, pecunias dilanantes virginem, et alia his similia; facile erit deprehendere, si haec omnia mortis instrumenta comparantur cum eo, quod beatam Virginem cruciavit, longe ipso inferiora esse: nam instrumentum martyrii eius fuit passio ipsa Christi Domini, vel, ut melius dicam, fuit ipsemet Christus summus doloribus in cruce affectus, qui sibi fuit velut gladius intima cordis, ac viscerum eius penetrans. Atque hinc est, quod sicut ad imagines aliorum martyrum solent a pictoribus apponi instrumenta passionis, Paulo ensis, craticula Laurentio, Stephano lapides, Sebastiano sagittae; ita beatae Virginis nihil aliud insigne apponitur, quam filius in manibus eius, quia hoc fuit praecipuum sui acerbi martyrii gladius. Ultimo tandem, quia alii saepe martyres quandoque ex miraculosa Dei dispensatione, vel il-****

lata sibi tormenta non sentiebant, ut expertus fuit sanctus Theodoretus, ut alios omittam, de quo refert divus Augustinus (1.18. de *Civ. Dei* c.52), quod cum suspensus torqueretur, Eusebius petiit ab eo, an equulei cruciatio gravis illi videretur? respondit martyr, tanta se perferum alacritate dum torqueretur suspensus, ut aegre tolerari ab illo extrahi cruciatu, eo quod pulcherrimus juvenis aqua purissima lavaret ei loca plagarum, et linleo tergeret mundissimo. Vel certe quando martyres in corpore dolorem perferabant, in anima divinitus recreabantur, et celestis solatio reficiebantur, quo illorum cruciatus levior multo reddebatur; at beata Virgo tota erat mari dolorum immersa, ita ut cum filio suo dicere polisset (Ps.68): *Intraerunt aquae usque ad animam meam, et non est substantia, et illa illa (Ps. 21): *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Sicut enim Christus Dominus derelictus a Patre, quatenus nullum solatium eius dolorem mituens ei imperivi; sic et b. Virgo tunc a Deo derelicta fuit, quatenus omni consolatione, moerore eius allevante, penitus fuit desituta. Cum enim Christus, et Maria nunc essent per dilectionem, quia anima plus est ubi amare, quam ubi animam, omnes angustiae, et dolores charissimam prolem afficientem, matris etiam viscera exulcerabant. Quare pie, et ingeniose beatus Laurentius Iustinianus (1. de triumph. Christi agone) dixit: *Cor Mariae clarissimum passionis speculum, et perfecta mortis imago effecta est. Unde sicut vulneratus intus est ad speculum, necesse est, ut vulnera in speculo adamussim repraesententur; hinc est, quod cum beata Virgo esset terribissimum, et clarissimum Christi vulnerati speculum, non mortuum, sed vivum, omnia Christi vulnera, et eorum instrumenta ad vivam in ea exprimebantur. Spinae cor eius transfigebant, clavi terrebantur, fel, et acetum amarificabant, dira lancea acutissimo cuspidis confodiebat: unde d. Bernardus (serm. de pass.) ad hoc respiciens ait: *Quod in carne Christi agebant clavi, et lancea, hoc in Virginis mente naturales affectus, et materna angustia. Atque hinc est, quod sicut Christi dolores in cruce fuerunt similes doloribus parturientis; ut ait David (Ps. 47): *Dolores ut parturientis; ita etiam Virginis dolores fuerunt iuxta crucem instar parturientis. Ut enim de Virginis doloribus loquens divus Damascenus (de fide orthod. c.15) adnotavit: *Ipsa super naturam donorum digne effecta, doloris partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit ex materna compassione viscerum lacrum reparturientis; et quem Deum per naturalem agnovit, illum, ut malefium interfectum videns, tanquam gladio, cogitationibus descripsit; et hoc est: tuam ipsius animam pertransibit gladius, quemadmodum illi praedixerat Dei expectator Simeon Dominum gestans in ulnis. Itaque omnia, et singula tormenta, quae filium lacebant, matrem etiam vulnerabant. Erat enim Christus Dominus cruci affixus, velut originale ipsum dolorum, et afflictionum; beata autem Virgo velut copia, in qua Spiritus sanctus omnes illas voluntat. Erat Christus in cruce exallatus, velut stigmata incisus******

habens clavorum, et lanceae instrumento quinque vulnerum illa, tanquam regia stemmata; beata autem Virgo erat velut cera ad compandendum admodum mollis; et ideo cum sacro illi sigillo non solum corpore, sed stricissimum amorem esset coniunctissima, non poterat, non vulnerum figura, et imago in ea exprimi: atque tunc arbitrator praecipue impletum fuisse, quod sponsus dixerat Virgini (*Cant. 8*): *Pone me ut signaculum super cor tuum*. Christo enim crucifixo velut signaculo sigillari, dolores eius exprimente signatum, et sigillatum fuit charissimae eius sponsae, et matris cor. Ac tandem omnis angor, et moeror Christi, mirabile quodam echo in Deipara Virgine causabat, omnes Christi poenas referens; unde cum Christus protulit (*Marc. 14*): *Tristis est anima mea*, mea respondet echo Mariae; et cum clamant, *sitio*, illi resonat in Maria; et cum loquitur, *ecce mater tua*, tua insonat in corde Virginis; ac demum cum morti proximus ad Patrem conversus ait: *In manus tuas commendo spiritum meum*, meum reddit Marianum echo, quia, qui *adhaeret Deo, unus spiritus est* (*1. Cor. 6*): Ac tandem filius, et mater multo sibi dolentes, et compatiens fuisse, mihi videntur, velut mysticae duae citharae aequalitate temperatae, quia sicut in his, ut testatur divus Gregorius (*in suis moralibus*), sonante una, continuo absque alio pulsante resonat alia; ita lesu dolens, continuo dolet Maria: Christo tristitane, tristatur Maria: filio cruciatio, cruciatur et mater, ut his verbis observavit divus Bernardus (*hom. sup. Ev. Stabat iuxta crucem*), dicens: *O dolores inexplicabiles, o ineffabilis recitatio sancti amoris? Filius patitur, et tunc valde compatitur matri; mater vero compassa est patienti filio; tantum nempe inemptus passionis Domini Iesu fuit, ut quasi Christum impleto, in matrem fueret compatiens, quia similiter impleta ad filium redundaret inundatio amaritudinis, et moeroris.*

Atque hinc non erit difficile rationem reddere, quid sit, quod cum alioquin sacri scriptores diligentes valde se exhibuerint in enarrandis aliorum parentum lacrymis, et genitibus ob adversos filiorum suorum eventus: Mox enim dolorem enarrat, quem Agar suscepit, cum sitiundo filio aqua deficeret, et prae nimia siti quasi moreretur; et liber Tobiae moerorem matris viscera concipientem propter absentiam filii sui diffuso sermone commemorat; et liber Regum gemitus, et suspiria Davidis refert, audita violenta filii sui Absalonis nece. Similiter etiam stylo prosequitur acerbitatem doloris Iacobi animum transverberantem, quando ostensa veste filii sui sanguine intincta, audivit verba illa (*Gen. 37*): *Fera pessima decoravit eum*. Ac tandem nemo ignorat longe lateque descriplas lobi angustias, quando immisit Dominus et filiorum, et bonorum suorum iacturam; nihilominus tamen acerbissimum beatissimae Virginis dolorem, quem in passione, et morte filii sui pertulit, sacri evangelistae silentio praeterreunt. In monte calvariae vidit illum sicut Agar sitiundum: vi-

dit non vestem sanguine alieno rubefactam; ut Iacob; sed proprio sanguine intinctam; ibi non per auditum, ut David mortem filii percepit, sed propriis oculis morientem conspexit: ibi lamentabatur, amarissimeque flebat non absentiam filii sui, ut Anna, sed obitum, et transitum ex hoc mundo. Ibi tandem non minus, quam Iob omnium bonorum suorum iacturam passa est: quia sicut omnia bona venerunt ei pariter cum Christo nascente; ita omnia bona temporalia pariter ab ea discesserunt illo moriente. Quid igitur causae est, quod sacri Evangelistae in enarrandis tot Virginis doloribus obmutuerint, et maxime dilectissimam, latus describere pertinere videbatur? Scio posse dici solum esse divum Ioannem, qui tanto profundiora sunt mysteria, tanto simpliciori, et breviori sermone illa pertransire; et volens ostendere lassitudinem, et fatigationem Christi, solum dixit (*Ioan. 4*): *Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*. Similiter alii Evangelistae nativitatem Christi commemorantes, resurrectionem, et ascensionem, paucissimis verbis sublimia adeo sacramenta percurrunt, dicens (*Luc. 2*): *Peperit filium suum: et* (*Marc. 16*), *surrexit non est hic: et* (*Act. 1*), *videntibus illis elevatus est*. Hoc laconico stylo usi sunt, ingenue fatentes impares se esse ad tam excelsa mysteria digne promenda, verba et sibi deficere ad ea pro dignitate tractanda. Non dissimiliter in proposito nostro iacturae sacri Evangelistae, probe agnoscens, nulla verba sibi suppetere, quae Marianis doloris acerbitatem pro dignitate exprimere possent, silentio ea consulto praeterierunt; et solus Ioannes, qui illius meminit, tantum narrat, quod stabat iuxta crucem filii sui. In quo sane videntur evangelistici scriptores imitatores fuisse celebrem illum pictorem Timitantem, de quo refert divus Augustinus (*de Civit. Dei lib. 18. cap. 18*), quod quando depinxit sacrificium Hifigeniae regis Agamemnonis natae, ad vivum referens Iugubre illud spectaculum; accedens postea ad depingendum Agamemnonem eius patrem summo dolore confectum, qui immolationi aderat, videns sibi facultatem non subesse, ad exprimendam suo penicillo ingentem Agamemnonis tristitiam, velamine vultum eius cooperuit. Ad eundem certe modum non ignorans sacri Evangelistae omnem sermonem insufficientem esse ad exprimendos Virginis dolores in morte dilectissimi filii sui, silentio velamine illos cooperuerunt. Bene quidem; sed ego sane arbitrator minime illos silentio praeterire: nam dum opprobria Christi Domini, flagella, vulnera, et reliquos passionis eius dolores, et afflictiones diffuse enarrant, copiose etiam Virginis dolores, et afflictiones commemorant: nam vulnera Christi patientis vulnera erant matris et condolentis; omnesque ietus corpus Christi cruciantes, animam Virginis acriter feriebant, quia erat speculum, in quo dolores eius reflexerantur: cera sigillata, in qua ad vivum exprimebantur: echo, per quem gemitus resona-

bant; et velut copia, in quam ex originali Christo omnes illi nullo dempto transferebantur; immo illatum vulnus lanceae, quod Christus non sensit, nec dolorem ei intulit, quia iam obierat, matris animam transiit, quae in corpore emortuo per amorem aderat. Unde recte beata Virgo, licet in alium sensum, usurpare sibi potuisset verba divi Pauli (*ad Coloss. 1*): *Adimpleo ea, quae desunt passionis Christi in carne mea*. Quid quae doloris defuit passioni Christi? illud certe solum quod vulnus dirae lanceae non sensit; hunc tamen dolorem, quem ipse non pertulit, beata Virgo sustinuit; de eoque multi volunt intelligi cum divo Bernardo verba Simeonis: *Et tuam ipsius animam pertransiit gladius; gladius, inquam, dirae lanceae, quem sola mater, non filius sensit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

## HOMILIA VII.

*Doloris acerbitatem, quem beata Virgo sustinuit in passione Christi dilecti filii sui nullum in ea peperisse spasmodum ex professo comprobamus, refutatis aliorum sententiarum, qui illum admittunt, et explicatis sanctorum Patrum testimoniis, qui eis favere videbantur.*

Triplitem apud praesatos doctores, et recentiores auctores invenio in hac re sententiam. Prima est eorum, qui constanter affirmant, pia quadam, ut opinor, credulitate moti, beatam Virginem praee doloris acerbitate spasmodum sustinuisse, et in terram collapsam fuisse in passione filii sui. Hinc sententiae adhaerent expressis verbis sanctus Bernardus (*opus. de lament. beat. Virg.*), sanctus Bonaventura (*lib. Medit. vitae Christi. cap. 77. et 79*), Anselmus (*dial. de Pass. Dom.*), beatus Laurentius Iustinianus (*lib. de triumph. agon. cap. 21*), Dionysius Carthusianus (*in cap. 19. Ioann.*), Ioannes Laspergius (*lib. Elucid. in passion. Christi.*), Ludolphus (*de vit. Christ. part. 2. cap. 64. et 70*), Christophorus Veruchinus (*lib. Medit.*), et passim qui sermones de passione Domini conscriperunt; brevitas tamen gratia praecipua solum Patrum testimonia apponam. Divus Bernardus (*opus. de lament. Virg.*) haec ait: *Iuxta crucem Christi stabat emortua Mater, quae ipsum ex Spiritu sancto concepit: vox illi non erat, quia dolore attrita iacens pallescit, quasi mortua vivens, vicebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat, quae vivens mortua erat*. Divus Anselmus (*dial. de pass. Domini.*) in persona Virginis sic loquitur: *Cum renissent ad locum Calvariae, ignominiosissime nudaverunt filium meum totaliter vestibus suis, et ego exanimis facta fui*. D. Bonaventura (*lib. Med. cap. 69. et cap. 80*) his similia profert: *Credo quod per angustiarum multitudinem absorpta erat, et quasi insensibilis, vel semimortua facta est, tunc quidem multo magis, quam cum ob-*

*viam ierit et crucem portantem. Idem affirmat beatus Angelus de Pas* (*in exposit. Symb. lib. 6. cap. 36*), recitatis versibus Eudoxiae in Homeri centonibus, qui sic se habent:

Gira autem filium charum iecit cubitos lacry-  
(mans.  
Osculata autem est ipsum, caputque et oculos  
(pilehros,  
Manusque ambas: calida autem ipsi decedit la-  
(cryma;

Postea subdit: *In his prae dolore transfrazam, atque gladius, ut solet depingi, semimortuam, sui quasi in ecstasim, non nihil temporis remansisse Mariam plerique existimant, iuxta Simeonis oraculum: et tuam ipsius animam pertransiit gladius; ubi Timotheus presbiter Hierosolymitanus oratione de propheta Simeone non dicit: tenebit gladius, aut dominabitur gladius; hoc est parvo tempore dolore afficeris, et affligeris, et statim a dolore liberaberis, et afflictione; quod quando vidit filium suum lancea vulnerari, semimortua cecidit inter brachia Magdalenae. Accedent revelationes s. Birgittae (*lib. 6. cap. 37*), ubi aurea haec verba Virginis habet: *Quoties audivi approbata filii mei, et munda, et insidias ei postas, toties tamen meus motus est dolor, ita quod vix vivere se poterat; sed virtute Dei dolor meus modum, et honestatem habuit, ne impotentia, et levitas in me notaretur; et quando vidit filium meum ligari, et flagellari, et in ligno suspendi, corripit quasi exanimis, sed reassumpto spiritu illi dolens, et sic patienter sufferens, ut nec inimici, nec alii in me atque reperirent, nisi gravitatem*. Triplex tandem ratio eidem sententiae optulatur. Prima, quia cum Christus Dominus batiulans crucem, prae nimia eius debilitate ob acerba flagella suscepta, in terram cecidit, corruisse etiam Virginem illi obviam factam, communis est fidelium traditio asserentium spasmodum illum sustinuisse, in cuius perpetuum memoriam Ecclesiam construxerant, sub nomine sanctae Mariae de spasmu, ut terrae sanctae scriptores omnes, et peregrini inde venientes conlestantur: immo, ut refert Caelianus, in Ecclesia a multis celebrabatur festum spasmu b. Mariae cum sua octava, a Dominica in passione usque ad Dominicam palmarum. Secunda ratio, quia excellens dolor secundum Avicem (*in tract. de spasmu*), non semel accidit videri spasmodum, cum revera non sit. Cum ergo dolor Virginis fuerit vehementissimus, facile potuit spasmodum in ea causare. Tertia ratio, quia communis modus, quo Ecclesia consuevit imagines depingere, hanc eandem sententiam aperte probat, dum beatam Virginem iuxta crucem depingit exanimem, et semimortuam, vel inter brachia Magdalenae collapsam. Quod autem Evangelistae stantem tradidit illam iuxta crucem, nihil hinc sententiae praedi-cat, quia forsam spasmodum fuit solum quando vidit Christum Dominum crucem batiulantem, et in terram collabentem; vel certe si ille accidit iuxta crucem, potuit postea reassumpto spiritu, et vigore fortiter cruci proximam adstare; nec enim iacere, et stare pro diversis temporibus quoquomodo pugnant.*

Secundam iam sententiam profero, novissime explicat, et amplectitur eruditus auctor Malonius (*de Christi Domini stigmat. cap. 17*), quem secutus est Scholasticus (*super revelat. Sanctae Birg.*), ubi triplex genus spasmi perdoctè distinguit. Primum est spasmus proprie dictus, cum ex vehementia, et acerbitate doloris nervi contrahuntur, et convelluntur, et rigescunt; ut non solum cruciatum acerbissimum inferant, qui etiam hominem a rationis, et sensuum usu abducant, ipsumque exanimem reddant; post longam vero moram, elsi rationis, sensuumque usum homo recuperet, longo tamen postea morbo defineatur. Secundus spasmus dicitur, cum etiam absque nervorum contractione, vel convulsione, dolor tamen illa angetur, ut cruciatu acerbis deliquium rationis vel syncope inducat, adeo ut homo conceptu mortis pallore sensibus illa abdicatur, ut frigidò sudore madalet, et non solum sensibus, sed ne ratione quidem uti possit. Tale deliquium animi saepe cruciatu, quibus Iudices ad veritatem erucandam sotes vexant, inferre solent. Tertius spasmus vulgari omnium locutione valde acutus, et intensus, est qui, elsi nervos non contorqueat, neque convellat, neque etiam sensuum, et multo minus rationis usum intercipiat; illa tamen dire ac crudeliter vexat, ut vires corporis quodammodo marcescant, et virium debilitas subsequatur, et suscitare se vix homo possit, in terraque interdum labatur: sic dicit Ezechiel (*Van. 10*): *Emareui, nec habui quidquam virum*. In hoc sensu inquit hic auctor, recte admitti potest spasmus in b. Virgine, et quod ex vi illius in terram ceciderit; et in hoc etiam sensu illam credibilem iudicat, licet eam non sequatur Caielanus (*opus spas. Virg.*), nam postquam dixerat: *Dicitur igitur vulgo spasmatus aliquis cecidisse, cum prae doloris magnitudine syncope, seu ecstasi patientis cadit; occurrit enim tunc ad sustinendum, et aqua in cultum aspergitur; continuo subiungit haec verba: Et iuxta hunc sensum crediderim ego dici beatam Mariam spasmum. Huiusmodi autem doloris modum in beata Virgine fuisse ex magnitudine suae tristitiae credi potest.* Potestque eius sententia in hunc modum persuaderi. Primo, quia divus Bernardus, Anselmus, Bonaventura, Birgitta, et alii supraacti Patres expressis verbis dicunt b. Virginem cecidisse exanimem, et semimortuam; quibus accedunt verba d. August. relata a Ludolpho tibi supra dicentis: *Ille pia mater inmani dolore etulans, illa viscera fulgiverat, et membra, ut iam sensu deficiens, vix potuisset ad Iunus Christi pervenire*. Secundo, quia huiusmodi genus spasmi Mariani doloris acerbissimum exprimit, et b. Virgini excellentiae iniuriam nullam inferi, cum nec admittat alienationem mentis, nec sensuum, nec nervorum contractionem, aut distensionem, sed solum dolorem acerbè adeo vexantem, ut corporis vires debilitet, et in terram collabi faciat; sicut et Christus Dominus collapsus dicitur hauriens crucem, tum ex nimio pondere illius, tum ex nimia debilitate, quam copiosa sanguinis effusio tam in horto, quam ad columam flagellatus causaverat. Tertio, quia hoc genus spasmi beata Virgo reve-

lavit se sustinuisse s. Birgittae (*lib. 1. revel. cap. 10*) in haec verba: *Ad primum igitur ictum ego, quae adstabam propinquius, cecidi quasi mortua, et resumpto spiritu vidi corpus eius verberatum: et (infra) de crucifixi Christi verba faciens dixit: Cum primus clavus infigeretur ei, ego ad primum ictum conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus tremantibus, pedibus nutantibus, et non respexi prae amaritudine, antequam ex toto afflatus erat. Surgens vero vidi filium meum miserabiliter pendentem. Ecce quia eiusmodi debilitas a sensuum officio, neque rationis imperio illam deciebat; talem doloris acerbissimam describit, quae corporis quidem vires imminueret, et idcirco dixit: *Aspicere nolui dum figeretur, postea vero surgens vidi filium meum miserabiliter pendentem*.*

Tertia tandem sententia affirmat, tametsi in b. Virgine acerbissimus fuerit dolor ob passionem, et mortem filii sui, nullam tamen spasmum sustinuisse; non solum illum, qui alienationem mentis, et sensuum affert, sed neque eum, qui illam debilitatem in corpore causat, ut collabi illam compelleret, salvo semper usu rationis, et sensuum. Ita docent gravissimi Theologi, Clitoveus (*hom. de stat. Virg. iuxta Cruc.*), cardinalis Caielanus (*tom. 2. opus. quae. ultim.*), Iansenius (*in conc. Ecang.*), Barthol. Medina (*3. p. g. 27. ar. 4.*), Suarez (*4. part. tom. 2. disput. 41. sect. 2.*), nec non card. Teletus, qui (*in cap. 19. Ioan.*) improbabile putat oppositum. Haec sententia quoad primam partem probatur. Primo, quia spasmus, sive spasma dicitur contractionem, et convulsionem nervorum, quae a voluntario motu relorquet. Ita Avicenna (*tract. de spasm.*), d. Thom. (*lect. 2. in lib. 2. Meteorol.*) Sed in b. Virgine non fuit haec nervorum, vel membrorum contractio, cum aperte Ioannes dicat (*c. 19*): *Stabat autem iuxta crucem Iesu Maria, Ne autem fuit recursum ad diversa tempora, secundo id probat, quia charius erat Deo quod beata Virgo Christo compareretur secundum partem rationalem, quam quod a rationis sede abducta sensibus quoque privata in terram collaberetur. Tertio quia qui ad exaggerandum Virginis dolorem spasmum illum fingit in illa, dum eam commendare studet, plurimum eius dignitati detrahit: nam tollit ab ipsa heroicum illum constantiae gradum, quem maxime in ea Patres commendant, et praecipue s. Antoninus (*4. par. summae lit. 5. cap. 41. §. 1.*), qui dicit, quod b. Virgo stabat ante crucem verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa; illa tamen divinae voluntati conformis, quod si oportuisset, ad implendum voluntatem Dei, ipsa filium in cruce posuisset, atque obtulisset: nec enim minoris fuit obedientiae quam Abraham. Collapsa autem in terram, manifestum est quod id non potuisset praestare. Tertio, quia b. Virgo commendatur non semel ab egregia adeo complexione, et corporis temperie, ut nunquam in morbum incidit, ut testantur Caielanus, et Suarez (*praec. loc.*), nec non Galatinus (*lib. 7. cap. 10*). Et quidem cum beata Virgo similis credi debeat filio per omnia, quantum fas est; de filio autem omnes unanimiter fateantur, nullo morbo unquam laborasse, quae praerogativa data fuit Iohanni E-*

vangelistae, ut immunis esset ab omni morbo, ut tradit divus Hieronymus (*in prol. sup. Evang. Ioan.*), non est cur Virgini id denegetur, divo Bernardo dicente (*epis. ad Canon. Lugd.*): *Quod paucis fuit concessum, non creditur Mariae fuisse denegatum*. Igitur nulla ratione admittendus est in Virgine spasmus contractionis membrorum morbum inducens. Atque hinc est, quod Medina (*loco supraec.*) temerariam indicat, ac scandalosam oppositam sententiam, dicens: *Sunt qui dicant quod tempore passionis Domini Christus ipse sub crucis pondere lassatus ceciderit, et quod b. Virgo mater eius compatiens etiam ceciderit spasmata, et passa fuerit animae deliquium: haec omnia dicuntur temerarie, et scandalose*.

Sed iam quoad secundam partem, nimirum quod in b. Virgine non fuerit spasmus, prout importat vehementem adeo dolorem, ut corporis vires debilitet, et in terram collabi compellat, salvo etiam, et incolui usu rationis, et sensuum, in hunc modum ostendo. Primo, quia cum b. Virgo, ut (*Luc. 1*) dicit angelus, plena esset gratia, longe ab ea relegandi sunt omnes illi corporales defectus, qui plenitudini illius gratiae obstant: quia excellentior modus compatiendi, quam secundum partem sensitivam, cum illa sit nobilior ista, et proprie meritoria, et per se grata. Secundo, quia ad eandem plenitudinem gratiae pertinebat, ut tota pars sensitiva subderetur rationi eius vigilant; stante autem dominio, et rationis usu actuali super partem inferiorem, ad illum spectabat corpus consensere, ne dolori cedens collaberetur; sed fortiter persisteret, ut fortissimam foeminarum decebat. Tertio, quia b. Virgo propter divina charismata, et specialissima auxilia Dei, quae eius actiones praevenerant, non habuit motus primo primos, sed omnes eius potentiae, et actiones imperio, et dominio rationis erant subditissimae. Quis autem non videat credibile non esse b. Virginem libere elegisse, quasi exanimem iuxta crucem prolabi, cum perfectius nullo esset, et argumentum excellentioris fortitudinis, animo infra, et corpore constanti cum summo dolore coniuncto, cruci adstare quam corpore in terram deiecto, et ab acerbitate doloris victo, et superato? ut recte adnotatur divus Bernardus (*in conc. super illud Stabat autem iuxta crucem*), et divus Ambros. (*epist. 82. nec non lib. de Inst. Virg. cap. 7*), ubi ait: *Stantem lego, stentem non lego*, cui addo, et nullo minus cadentem. Et quidem mirabile esset quod in matre Machabaeorum, et in sancta Felicitate tanta fuerit fortitudo; ut filiis multo ad mortem addidicatis, ipsae illos exhortarentur, et ad mortem ducerent, et invincibili animo in caninum mitterent; et tamen fortissima omnium mulierum Maria adeo imbecillis esset, ut a dolore victa in terram corrueret? Absit a catholicis animis cogitatio haec, sanctae matri non parum iniuriosa. Quarto, quia si quo tempore beata Virgo prae magnitudine doloris in terram corruisset, maxime id esset Christo in cruce vi-

vo pendente, quia tunc ille acerbioribus doloribus agebatur; at tunc Ioannes testatur, quod *stabat iuxta crucem Iesu Maria mater eius*: stare autem ibi non denotat permanentem solum, sed specialem positionem corporis, et modum situs, hoc est, quod non se debat, aut iacebat, sed pedibus suis innitens consistebat: consuevit enim apud Evangelistas, cum rem gestam narrat, proprietatem situs describere, ut (*Ioan. 1*) de Ioanne Baptista: *Stabat Ioannes*; et (*Ioann. 4*): *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*; et (*Luc. 18*): *Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisaeus, et alter Publicanus, Pharisaeus stans haec apud se orabat*; et nisi nomina proprie interpretemur, omnia confusa erunt, ut docet Aristot. (*4. Metaph.*). Quod si dum Christus in cruce maiores cruciatus patiebatur, Virgo non corruat in terram, nec aliquod genus spasmi passa est, aperte efficitur nullo minus id sibi contigisse, quando vidit Christum flagellatum, vel spinis coronatum, vel crucis pondere oeratum, et multo etiam minus, quando post mortem vidit pectus eius vulnerari, aut depositum de cruce in gremio eius constitui: nam tunc certo iam sciebat Christum Dominum nullis doloribus vexari, sed potius a multis honoribus tractari, et propinquiorum iam esse triumpho, et gloriae resurrectionis; quod non parum poterat Virgini moerore mitigare. Nulla ergo ratione absque temeritate admitti potest illam in terram corruisse. Unde ut testatur Medina (*in parte 3. praec. loc.*) iuxta sanctae Inquisitionis concionatoris oppositum praedicantes palinodiam recantare coguntur. Patres autem, qui in contrariam sententiam abiisse videntur, longe ab ea sunt: etenim illi cum mysteria passionis Christi edisserunt, multa tradunt non tantum historicam veritatem, sed tantum devotas contemplationes, quibus ad maiorem compassionis affectum se, et alios excitant. Non desunt etiam graves theologo arbitranes, falso libellos illos Bernardus, et Anselmo adscribit: alii etiam dicunt loquutos fuisse per quandam exaggerationem, et hyperbolen, ut in aliis similibus non semel faciunt; quo etiam modo explicari possunt verba revelationum b. Birgittae. Rationes deinde, quae in contrarium adducuntur, nihil huic veritati offiunt: nam in primis ad illud dicitur de templo spasmum Virginis consecrato, respondeo, nomine spasmus intelligi ibi stuporem quemdam, et admirationem cum summo dolore coniunctam, quam b. Virgo sustinuit ex visione illius horridi spectaculi, cum vidit regem gloriae acerbissimo dolore confectum, crucis patibulum gestare. Vulgus autem ingentem illum stuporem, et admirationem vocavit spasmum, et ad eius memoriam instructum fuit illud templum. Non etiam obstat quod ingens dolor semel spasmum causaverit, ut medici testantur, qui ut recte respondet cardinalis Caielanus praecitato loco, quamvis dolor ingens spasmum causare possit, non tamen illum semper necessario causat, ut constat in Christo Domino, cuius dolor



vinitus ei dala fuisset relectio, potius elegerisset propriam, quam filii mortem.

Licet autem variis doloribus fuerit Mariae cor contristatum, dolor tamen, quem sustulit, cum stabat iuxta crucem, reliquis omnibus acerbior fuit: nam praesentia obiecti fortius movet potentiam; et ut docuit Aristoteles (2. de Anim.): *Potentia propinquius melius percipit obiectum, quam remota.* Beata autem Virgo propinquissima fuit Christo in cruce pendenti, Euthymio (in c. 21) dicente: *Verisimile est tunc Dei matrem propinquius cruci assistisse, quam ceteras mulieres; fortassis vero etiam circumvisse, cum propter naturae aculeos in eodem loco consistere non posset.* D. Bernar. (sup. Evang. stabat iuxta cruc.) ad rem hanc respiciens, de Mariae compassione disserens ait: *O viscera beatissima quanta fuit intra vos commotio in illo tempore, cum dissecaretur oculis videntibus, et laceraretur caro illa sacrosancta, quae intra vestram dulciter a Spiritu sancto est formata. Vere dolor, qui ab aliis matribus exprimitur in praesentibus naturam tormentis, exterioribus signis, et clamoribus, intra te o felix mater conversus viscera tua inenarrabiliter commovit. Nam noceras integrum corpus filii tui egressum de utero tuo virginali, et ecce videbas dilaceratum, et consissum vulnere super vulnus, manus clavis confixas cruci, et pedes perforatos; ac latus, et sanguinem decurrentem in terram. Vix etiam sanctus Doctor in persona Christi beatam Virginem cruci adstantem sic interrogat: *O mi Domina quid hic stas? quid hic agis? quam ob causam hic venire voluisti in montem calvariae, locum pessimorum, et horrendorum cadaverum? cur te non retinet reverentia virginalis, aut ingentium multitudine peccatorum, et furor insanientium contra Deum, ac Christi sanguinem innoxium effundentium, ut te exhiberes in publicum, quae semper solitaria in cella vocabas Deo? Quis unquam, qui te agnovisset Reginam mundi, angelorum, et hominum, praesumere ausus fuisset, quod stare deberes iuxta patibulum? quod est obscuro, quod stas iuxta crucem Iesu? Huius interrogationi in hunc modum respondet ipse Bernardus: *Quid mirum, quod adstabas cruci Christi o Maria? quis enim si non accessisses, indicasset tibi, quomodo tuus, et Dei filius in cruce steterit nudo corpore, pallida facie, respersus cruore, dilacerata tota carne. Quid inter haec facere deberat mater, nisi ut adstaret iuxta crucem, et aspiceret regem gloriae expectando finem mortis, et diceret in corde: stabo, et aspiciam oculis manus perforatas, et pedes: video quomodo transat ex hoc mundo: occedam propius, amplectar brachia, et depositum de cruce osculabor filium Deum, et Dominum meum. Equidem sacra narrat historia, quod amici Ioh. oculis suis influentes lepra percussum, et in sterquilino iacentem, non poterunt prae magnitudine moeroris verbum aliquid ore promerere, et summis gemitibus eulabant factorem eius: Cumque elevarunt procul oculos, non cognoverunt eum, scissisque vestibus sparsurum pulverem super caput suum in coelum, et sederunt cum eo in terra septem diebus, et septem noctibus; et nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem.***

Si igitur amor isolorum erga Iobum, tanquam sibi amicum, graviter adeo animos eorum vexavit; quid putandum de dolore b. Virginis, quem non ut amicum solum, sed ut filium ex visceribus suis egressum ardentissime amabat? Ut tamen gravitas huius Mariani doloris magis innotescat, oportet prius mentis aciem convertere ad gravitatem doloris et opprobrii, reliquorumque laborum, quos Christus Dominus dilectissimus eius filius pariter et Deus sustulit. Illos ipse brevi sermone complectens compendiose indicavit, cum per prophetam David (Psalm. 21) dixit: *Feris sum, et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Varias sancti Patres huic loco expositiones adhibent, quas breviter apponam, ut ad eam, quae nostro insitit deservit, accedam. Origenes (sup. Luc.), et d. Augustinus (sup. Psal. 21. cap. 2) aiunt, quod sicut vermis intra viscera ligni conceptus, non habet alium patrem, quam materiam ligni ex qua gignitur; propterea Christus apud vere comparatur, qui ex sola Virgine cooperante coelesti influxu absque humano patre processit. D. Gregorius (lib. 3. Moral. c. 9), et Isidorus (lib. 1. de summi. lon. cap. 16), Rupertus (in cap. 1. Math.), Beda (in homil. de nativitate), docent Christum vocari vermem, quia sicut vermis hamo appositus, instrumentum est ad capiendos pisces; ita hamus divinitatis sub carne Christi latens daemonem interemit. Ad quod alludens Iob ait (cap. 40): *An extrahere poteris Leviatan? Alii voluit Christum vermem ligni nuncupari, quia sicut hic vermis intus lignum corrodens, quod aliquando grave rat, leve ad portandum illud reddit; ita Christus Dominus lignum crucis ascendens, et lotam eius acerbitalatem engens, ita illud alleviavit, ut ipse onus leve, et suave iugum illud vocaret (Math. 11).* Arbitror tamen magis literaliter expositionem esse, vocatum vermem ad significandum, adeo ab hominibus parvipendendum, ut instar vilissimi vermis foret ab eis conculcandus, et absque ulla compassione turpiter interimendus. Adhuc Nicolaus de Lyra (in comment. hui. loc.), propterea addidisse sequentia verba: *Et non homo, qui a multis magis existimabatur daemon, quam homo, unde ei dixerunt: daemionium habes: Samaritanus es.* Fieri ergo non poterat quod mater Mariae viscera dum intuebatur propriis oculis filium suum abiectissime tractari, conculcari, conspui, flagellari, clavis confodi, spinisungi, et immansissima, et turpissima morte inter duos latrones occidi, non poterant, inquam, acerbissime non cruciari, ut verba ipsa Ioannis, *stabat iuxta crucem, salis indicant.* Certe vulnus eo acerbissimum est quo ensis magis carnem penetrat. In reliquos martyres ensis penetrabat unus, vel duo palmi, Mariam autem pertransivit gladius usque ad crucem; et ideo ad id significandum Ioannes inquit: *Stabat iuxta crucem.* Acerbitalatem hanc nobilissimus auctor Lodalphus de Saxonia, Chartusianae familiae deus, et ornamentum, pie adeo perpendit, ut verba eius, quamvis non pauca, hic adscribenda putaverim: sic enim effatur: *Aspiciebat Ancilla Domini suum in cruce pendentem morientemque turpissime, tantoque dolore vexabatur in mente,*

quod non potest explicari sermone. Manabat enim sanguis ex quatuor partibus rigantibus undis, ligno, manibus, pedibusque clavis confixis. De vultu illius pulchritudo effluerat omnis; et qui erat prae filius hominum speciosus, videbatur indecorus omnium. Videbat quod complebatur propheticum illud in eo: *Vidimus eum; et non erat aspectus, neque decor, quia iniquorum livor, et verbera fedaverant vultum eius.* Videbam me deseri ab ipso, quem genui; nec super poterat capi in me dolor meus. Vox mea fere perierat omnis, sed dabam gemitus et suspiria: volebam loqui, sed dolor verba rumpebat, quia verbum iam mente conceptum dum ad formationem protenderet oris, ad se revocabat imperfectum nimis dolor cordis. Vox tristes sonabat foris, vultus denuncians mentis: verba dabat amor, quae rancum sonabant. Nam lingua vocis magistra perdidit usum loquendi. Videbam mori, quem diligebat anima mea, et tota liquefiebam prae doloris angustia. Aspiciebat et ipse benignissimo vultu me matrem plorantem, et me voluit paucis verbis consolari; sed ipsa consolari non poteram, sed flectam dicens: *Fili mi, fili mi, quis dabit ut ego moriar pro te? moritur filius, cur secum non moritur misera mater? Amor unice, fili dulcissime, noli me derelinquere post te, trahere me ad te ipsum, ut ipsa moriar tecum: male solus morieris, tecum morte perimatur ista tua genitrix. O mors mihi miserae noli parere: tu mihi sola prae cunctis placeas: eaeque vires tuas, trueda matrem, et cum filio perime simul. Fili dulcor unice, singulare gaudium, fac ut moriar tecum, quia te ad mortem genui: sine matre noli mori. Recognosce me miseram, et exaudi precem meam: exaudi me obsecro, in tuo me suscipe patibulo, ut qui una carne viciniam, una morte pereamus. O Iudaei impii nolite mihi parere: quia natum crucifixistis, et matrem crucifigite, aut alia quoque morte saeva me perinite, dummodo cum filio meo finiar simul. Vita mea moritur, et salus perimitur, ac de terra tollitur omnis spes mea. Cur ergo vivit in dolore mater post filium? tollite, suspendite matrem cum suo pignore. Non parcis proli, non parcas et mihi: tu mihi soli mors esto saeva; tunc enim summe gauderem, si cum Christo meo mori possem. Melius est mihi mori, quam vitam ducere mortis. O fili chara, o benignissime nate, miserere matris, suscipe preces, desine nunc esse durus matri, qui semper ei fuisti benignus, in pedibus, suscipe matrem in morte teo. Nihil vero dulcius mihi quam tecum mori; et vere nil amarius est quam vivere post mortem tuam. O Iesu, tu mihi pater, tu mihi mater, tu mihi sponsus, tu mihi filius, tu mihi unia eras: nunc orbis patre, videtur sponso, desolor prole, omnia perdo: o fili mi, quid ultra faciam? haec ille.*

Ingentem hunc Mariae dolorem ob Christi Domini necem adumbratum intueor in dolore mulieris Sunamitidis, de qua (lib. 4. Reg.) legitur, quod cum mortuus esset filius eius, quae quasi miraculose conceperat, precibus nimirum Helisaei prophetae: mox ecurrunt ad ipsum Helisaeum in montem Carmeli habitan-

tem, quam cum vidisset vir Dei ad pedes suos prostratum, et Giezi cum inde amovere volentem, dixit ei (4. Reg. 4): *Dimitte eam, anima enim eius in amaritudine est.* Mulier hic Sunamitis Deiparam Mariam adumbrat, quae miraculose concepit, et peperit filium summi Christi Dominum, qui in cruce suspensus obit. Recte etiam Sunamitis appellatio ei congruit: nam Sunamitis interpretatur, mortificata; Maria autem praeterquam mortificationem Iesu Christi melius quam d. Paulus in corpore suo circumferebat, valde corde, et corpore mortificata fuit tempore passionis, et mortis filii sui: adeo ut non merito in eam conveniant verba illa: *Anima eius in amaritudine est.* Cum hoc autem dolore coniunxit b. Virgo mirabilem fortitudinem, et de ultimis fuit indicat verba Ioannis (c. 19): *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Salomon in proverbii solite quaerebat mulierem fortem, quia foemineus sexus natura sua est imbecillius, et pusillanimis; unde dicebat (Prov. 31): *Mulierem fortem quem praestitit? procul et de ultimis faibus pretium eius; vel ut vertunt septuaginta: pretiosior est lapidibus magni pretii: vel ut transfert Pagninus: longe distat a margaritis; vel ut exponunt Tigurina, et Batablus: foeminae virtute praeditam quisquis natus fuerit mercedem habet geminis procul petitis pretiosiorum; vel ut habet Isidorus: longe superabit gemmas pretium eius; vel tandem ut legit originale hebraicum: longinquum ab unioibus pretium eius.* Certe qui attente perespexit Mariam cruci adstantem, et inter medes satellites intrepido animo versari, facile sibi persuadebit iam inventam fuisse mulierem fortem, quam tam sollicita quaerebat Salomon. O insignem Mariae fortitudinem: non eam deficiunt muliebri sexus, non prohibuit virginitatis pudor, non militum cohors, non exhorruit eam ingens petidum, et equitum turba, non exanimavit doloris acerbissimum, non superavit illam horrendum illud filii in cruce pendens spectaculum, non denique tot in Christum opprobria illata in conspectu eius, a patibulo crucis eam dimovere poterunt. Unde apte in eam convenire arbitror descriptionem eorum, qui constantiam exprimere volentes, depergebant durissimum ripem, quae variis maris fluctibus conquassata, immobilis semper manens, nunquam eis cedebat; illaque huic picturae aderat inscriptio: *Eadem sum semper.* Non secus sanctissima Maria instar solidissimae rupis in medio mari passionis filii sui constituta, variisque dolorum fluctibus undique concussa, adeo magnanimitas, et constans perstitit, ut merito dicere possit: *Eadem semper sum;* quod perinde est ac si dixisset: *cum filius meus tanquam latro comprehenditur, eadem sum: cum ad Herodem, Caipham, et Pilatum ignominiose ducitur, eadem sum: cum flagellatur ad columnam ligatus, eadem sum: cum spinis caput eius lenebratur, eadem sum: cum Barabbae postponitur, et morti adiudicatur, eadem sum: cum clavis in cruce confoditur, eadem sum: cum tandem turpissima morte necatur, eadem sum: nunquam pusillanimitas, sed semper constans, et invincibilis maneo.*

Has omnes heroicis virtutes, fidem, spem,

